

Gramineae africanae. V.

Von

Carl Mez.

Panicum (*§ Rhynchelytrum*) **Busseanum** Mez n. sp.; perennis, usque ad 1,2 m alta, gracilis. Folia basi in vaginas haud carinatas, et prope apicem et basin versus brevissime (nec tuberculatim) puberulas, scabridas producta; ligulis brevissimis transverse lineiformibus, dense pilosis; laminis (foliorum culmi) reflexis, anguste linearibus, basi haud contractis, in apicem acutissime subulatum sensim angustatis, siccis convolutis, rigidulis, nervo medio manifestiore destitutis, glabris, scabridis, \pm 100 mm longis, vix 2 mm latis. Culmi graciles, subteretes, infra nodos dense barbatos breviter pilosi. Inflorescentia subpauciflora, erecta, quaquaversa, folia paullo superans, tripinnatim laxeque panniculata, angusta, subfusiformis, apicem versus sensim acuta, \pm 130 mm longa, 15 mm diam.; axi validiusculo, recto, paullo angulato, brevissime pilosulo manifeste scabro; ramis erectis, vix ultra 40 mm longis, e basi paupere divisis; spiculis ultimis lateralibus quam pedicelli gracillimi, bene scabridulo-pilosi nec prope apicem setosi vix longioribus, dense comatimque albo-villosis, pilis computatis ad 5 mm longis; gluma 1 adeo minuta (0,1 mm) ut aegre inveniatur, squamiformi-rotundata, perlunge pilosa; gluma 2 sequentem subaequante, ex elliptico acutiuscula apice minute emarginata et setula terminali brevi, quam pili sat longiore praedita, dorso aequaliter pilis usque ad $\frac{3}{4}$ longit. crescentibus connatis obtecta, 5-nervi; gluma 3 priori isomorpha sed apice melius emarginata et seta longiore (sed tamen pilis sat breviore) praedita, in axilla florem ♂ cum palea paullo breviore, angusta, superne toto dorso longe pilosa fovente; gluma 4 ac praecedens haud multo breviore, a latere visa acuta explanata acutiuscula nec emarginata, glaberrima, submembranacea, straminea, polita, paleam isomorpham bene superante.

Nyassaland: Ungoni (BUSSE n. 850), Uhehe, Irangi (Frau MAGD. PRINCE).

P. (*§ Rhynchelytrum*) **gracillimum** Mez n. sp.; perennis, e rhizomate brevi suberecto tenui fasciculiformis, florifera semimetralis, tenuis. Folia

basi in vaginas haud carinatas, glabras laevesque producta; ligulis brevissimis transverse lineiformibus, margine dense breviterque pilosis; laminis erectis, peranguste linearibus, basi haud contractis, in apicem acutum sensim angustatis, omnino setiformi-convolutis, paullo rigidulis, nervo medio manifestiore parentibus, glaberrimis, laevibus, \pm 120 mm longis, 1 mm latis. Culmi stricte erecti, gracillimi, teretes, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentia pauciflora, subsecunda, erecta, folia longe superans, laxe 2-pinnatim panniculata, subfusiformis praesertim apicem versus sensim acuta, \pm 90 mm longa, vix 15 mm diam.; axi gracili, recto, subangulato, pilis multis erectis obtecto; ramis stricte erectis, tenerrimis, flexuosis, infimis usque ad 25 mm longis jam e basi spiculigeris: spiculis latéralibus quam pedicelli gracillimi, curvati, breviter (nec ad apicem setoso-) pilosi longioribus, subaequaliter nec comatum pilis longis erectis roseis indutis, sublanceolatis, absque pilis \pm 3,5, his computatis \pm 6 mm longis; gluma 1 parva sed manifesta, triangulari, acuta, tenuissime 4-nervi, dorso dense pilosa; gluma 2 late sublanceolata, apice acutiuscula et bene inciso-emarginata in setam pilis breviorem desinente, 5-nervi, sequentem subaequante; gluma 3 priori isomorpha, in axilla florem (ut videtur abortivum) cum palea linearis, dorso secus carinas longe pilosa fovente; gluma 4 praecedentibus haud multo breviore, a latere visa acutissima, haud emarginata, glaberrima, straminea, membranacea, nitidula, paleam isomorpham et item haud emarginatam bene superante.

Kamerungebiet (MANN).

P. (*§ Rhynchelytrum*) **elongatum** Mez n. sp.; statura absque dubio majore, gracillima. Folia (non nisi culmi summa cognita) basi in vaginas perelongatas, haud carinatas, glaberrimas laevesque producta; ligulis transverse lineiformibus, bene pilosis; laminis parvis, peranguste linearibus, basi haud contractis, apice sensim acutissimis, siccis convolutis, chartaceis, nervo medio parentibus, dorso infimam ad basin brevissime pilosis cet. glabris. Culmi gracillimi, teretes, laeves. Inflorescentia permultiflora, erecta, quaquaversa, folia longe superans, angustissime elongatissimeque 3-pinnatim panniculata, \pm 0,2 m longa, 25 mm diam., apice acuta; axi valido, recto, paullo angulato, glabro laevique; ramis stricte erectis, usque ad 70 mm longis, teneris superne saltem undulatis, ipsa e basi divisis, superne ramulos non nisi brevissimos proferentibus; spiculis omnibus quam pedicelli gracillimi, teretes, laeves, dissite longiuscule pilosi sat longioribus, praeter infimam basin mediumque longissime comatum pilosum non nisi brevissime piligeris, seta terminali computata 7 mm, absque pilis 3,5 mm longis; gluma 4 minuta sed manifesta, angustissime triangulari, acuta, tenuiter 4-nervi, dorso perlunge pilosa; gluma 2 sequentem aequante, anguste elliptica, apicem versus sensim angustata acutiuscula et profunde emarginato-incisa in setam longiusculam pilos connatos bene superantem desinente, 5-nervi; gluma 3 priori isomorpha sed longius setigera, in axilla florem

perfectum ♂ cum palea acuta (nec emarginata) paullo breviore, cochleiformi, secus carinas dorsales longe pilosa fovente; gluma 4 quam praecedentes paullo breviore, a latere visa acutiuscula, explanata cum palea haud emarginata, glabra, membranacea, straminea, nitidula, paleam superante.

Gongogebiet (DEMEUSE n. 102).

P. (§ *Rhynchelytrum*) **longicauda** Mez n. sp.; statura absque dubio conspicua. Folia (non nisi culmi summa cognita) basi in vaginas haud carinatas, dorso densiuscule pilis brevibus e tuberculis parvis prodeuntibus obsitas indeque scabridas producta; ligulis brevissimis transverse lineiformibus, margine dense pilosis; laminis linearibus, basi haud contractis, in apicem acutissimum sensim angustatis, planis, chartaceis, nervo medio manifestiore destitutis, utrinque bene pilosis. Inflorescentia ∞-flora, erecta, secunda, folia longe superans, anguste fusiformis vel caudiformis, dense 4-pinnatim panniculata, ± 250 mm longa, 25 mm diam.; axi valido, ad basin paullo undulato, subangulato, glabro, minutissime scabrido; ramis stricte erectis, usque ad 90 mm longis, inferioribus saltem ipsa basi haud divisis; spiculis erectis, lateralibus quam pedicelli gracillimi, flexuosi, teretes, praeter apicem longe setoso-pilosum glabris laevesque bene longioribus, dense nec connatim pilis longis suberectis, roseis indutis, cauda perlonga glumae 3 computata ± 45, absque pilis ± 4 mm longis, anguste lanceolatis; gluma 1 minuta, lingulata, apice rotundata erosulaque, aveni, quam pili dorsales multo breviore; gluma 2 sequentem aequante, anguste elliptica, apicem versus acutiuscula demum profunde incisa et in setam gracillimam longiore desinente, 5-nervi; gluma 3 priori isomorpha, sed setae longitudine sat superante, in axilla paleam (floris abortivi?) non nisi paullo breviorem, linearem, secus carinas dorsales brevissime ciliolatam fovente; gluma 4 praecedentibus paullo breviore, glaberrima, a latere visa acutiuscula explanata apice profunde emarginata, submembranacea, straminea, nitidula, paleam isomorpham (vel apice haud emarginatam?) bene superante.

Ost-Afrika: Tanganjika (TRUST).

P. (§ *Rhynchelytrum*) **setinsigne** Mez n. sp.

Perennis, florifera semimetallica. Folia basi in vaginas haud carinatas, glabras laevesque producta, ligulis transverse lineiformibus, margine dense pilosis; laminis patentibus, linearibus, basi vix contractis, in apicem acutissimum sensim angustatis, planis, chartaceis, nervo medio manifestiore destitutis, glaberrimis nec ad basin ciliatis, lenti magis quam tactu scabridis, ± 70 mm longis, 5 mm latis. Culmi geniculatim adscendentes, teretes, praeter nodos breviter barbellatos glabri laevesque. Inflorescentia submultiflora, erecta, quaquaversa, folia bene superans, laxiuscule 3-pinnatim panniculata, anguste subpyramidata, ± 130 mm longa, 60 mm diam.; axi valido, subtereti, glabro laevo; ramis suberectis, usque ad 50 mm longis,

ipsa e basi bene divisis, teneris, \pm undulatis; spiculis typo nutantibus dense pilis perlongis roseis haud distincte comatis, setulas longe superantibus vestitis et his computatis \pm 8 mm longis, lateralibus pedicellos gracillimos, cuneatos, teretes, praeter apicem setosulo-pilosum glabros laevesque bene superantibus; gluma 1 parva sed tamen manifesta, lingulata, rotundata, tenuiter 1-nervia, dorso pilis apicem longe superantibus vestita; gluma 2 ex elliptico in apicem anguste rotundatum, profunde emarginatum et in setulam brevem desinentem angustata, 5-nervia, apice breviter inferne perlonge pilosa; gluma 3 priori isomorpha sed apice minus emarginata, in axilla florem ♂ cum palea linearis, paullo breviore per anthesim emergente, longe pilosa fovente; gluma 4 dorso infra apicem setarum 2—4 perlongiorum fasciculo insigni, quem praecedentes haud multo breviore, a latere visa rotundata, apicem valde emarginata, pergamentacea, superne minute papilloso-pilosula, nitida, paleam item bene emarginatam superante.

Transvaal: um Lydenburg (WILMS n. 1674^a).

P. (*§ Urochloa*) *Aubertii* Mez n. sp.; folia basi in vaginas haud carinatas, glabras laevesque producta; ligulis conspicuis, rotundatis, margine dense longeque pilosis, laminis patentibus, subtriangularibus, e basi late rotundata semiamplexicauli in apicem acutum persensim angustatis, planis, subchartaceis, nervo medio manifesto praeditis, margine ne ad basin quidem ciliatis bene violaceo-zonulatis et superne optime scabridis, utraque facie glabris, \pm 65 mm longis basique 10 mm latis. Culmi geniculatim ascendentes, validiusculi, teretes, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentia multiflora, erecta, quaquaversa, 2-pinnatim panniculata, folia longe superans, optime digitatim e spicis \pm 7 omnino aequalibus vel exterioribus paullo minoribus, erectis, rectis, secus rhachis in spiculam virgentem desinentem, ad insertionem tomentosam cet. glabram, angulatam, scabram spiculas constanter geminas subsecundas densiuscule gerentibus, \pm 130 mm longis composita; spiculis parvis altera brevius altera longius pedicellata omnibus pedicellos gracillimos angulatos multo superantibus, erectis, alutaceis, lanceolatis, perlonge acutis et in setas longas desinentibus, his computatis \pm 8 mm longis, 1,5 mm latis; gluma 1 sequentem ad 1/2 aequante, anguste triangulari, tenerrima glabraque, haud aristata, persensim acutissima, obscure 3-nervia; gluma 2 quam sequens paullo breviore, ex lanceolato sensim acuta longeque aristata, glabra, 3-nervia; gluma 3 quam sequens sat breviore, priori isomorpha sed 5-nervia et secus marginem bene pilosa, in axilla paleam floris abortivi parvam, profunde incisam et tenuiter bicuspidatam fovente; gluma 4 longissime aristata, lanceolata, sensim acuta, tenui vix chartacea, alutaceo-straminea, opaca, secus marginem dissidente pilosa, paleam planam, dorso glabram prope apicem pilosulam, valde carinato-marginatam perlonge superante.

Madagascar (DU PETIT-THOUARS in herb. Berol.).

P. (§ *Brachiaria*) Emini Mez n. sp.; perennis videtur, gracilis nunc gracillima, florifera \pm 0,3 m alta. Folia basi in vaginas superne \pm carinatas, dorso pilis longis sueto paucis conspersas producta; ligulis brevissimis, perlonge denseque niveo-pilosus; laminis suberectis, lanceolatis vel anguste lanceolatis, apicem versus sensim acutis basi rotundatim contractis, planis, membranaceis, nervo medio tenui sed sueto manifesto auctis, margine sueto bene crispulatis incrassatis, ciliatulis nec serratis, utraque facie pilis longis dissitis praeditis, \pm 60 mm longis, 6 mm latis. Culmi graciles vel gracillimi, ut videtur geniculatum adscendentibus, superne bene angulati, cum nodis (nonnunquam etiam glabris) dissite pilosis. Inflorescentia pauciflora, erecta, optime secunda, folia longe superans, densiuscule 2-pinnatim ex axi validiore, ad angulos manifestos dense scabrido-ciliolato spicisque \pm 3 ex erecto arcuatis, \pm 20 mm longis, secus rhachin bene complanatam, in spiculam virgente desinentem, margine dense pilis setosulis e tuberculis ortis ciliatam spiculas haud geminas, dense uniseriatas quam maxime unilaterales gerentibus composita; spiculis suberectis, subsessilibus, sibi accumzentibus, virentibus, \pm dissite longe pilosis, ellipticis, apice acutiusculis vel acuminulatis, \pm 4 mm longis, 1,8 mm latis; gluma 1 semper glabra conspicua, spiculam paullo ultra $1/3$ vel fere ad $1/2$ aequante, late ovata, apice subrotundata et \pm asymmetrica, 9-nervia; gluma 2 quam sequens paullo breviore, late elliptica, acuta vel breviter lateque acuminata, 5-nervia; gluma 3 priori isomorpha sed latiore, in axilla florem perfectum ♂ cum palea subaequilonga vel paullo breviore, late acuta, glabra fovente; gluma 4 ex elliptico apice acuminulata, rugulosa, rigide coriacea, alutacea, nitidula, paleam optime rotundatam, dorso secus marginem carinatam superante.

Centralafrikan. Seengebiet: Muansa Kafuro (STUHLMANN n. 1815, 4663).

P. (§ *Brachiaria*) subulifolium Mez n. sp.; perennis, compacte fasciculatim caespitosa, florifera semimetralis, generis e gracillimis. Folia basi in vaginas culmi quam internodia sat breviores, leviter carinatas, glaberri- mas laevesque producta; ligulis brevissimis, transversalibus, ut videtur glabris; laminis erectis, angustissime linearibus, basi haud contractis, in apicem acutissimum persensim angustatis, complicatis vel convolutis omnino tenuissime subuliformibus, margine prope basin brevi spatio longissime pectinatim ciliatis cet. glaberrimis laevisusque, \pm 0,25 m longis et 2 mm latis. Culmi erecti, gracillimi, angulati, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentia pauciflora, erecta, secunda, longe stipitata folium summum multo supérans, laxe 2-pinnatim panniculata optime caricoidea, vix ultra 55 mm longa, ex axi tenui, angulato, glabro laevique et spicis 1—2 lateralibus suberecto-erectis, usque ad 20 mm longis, sessilibus, secus rhachin in spiculam virgente desinentem, paullo complanatam, valde undulatam, ad margines praesertim prope spicularum insertiones dissite longe stri- gosam spiculas suberecto-erectas, fere sessiles, quam maxime secundas,

sueto rubenti-variegatas, longe pilosas, haud geminas, dense dispositas sibi incumbentes \pm 14 procreantibus composita; spiculis lanceolato-ellipticis, acutis, bene nervosis, \pm 4 mm longis et 1,75 mm latis; gluma 1 magna spiculam ad $\frac{3}{4}$ aequante, late sublinearis, apice truncata et crenulata, 7-nervia; gluma 2 spiculam ad $\frac{4}{5}$ aequante, anguste elliptica, acuta, nervis 5 retatim conjunctis praedita; gluma 3 e late elliptico acuta, 7-nervia, glumam sequentem aequante, in axilla florem perfectum ♂ cum palea maxima per anthesin bene emergente, glabra fovente; gluma 4 lanceolato-elliptica, apice sensim acuta et hic pilosula, coriacea, straminea, laevi, nitidula, paleam optime rotundatam, glabram, dense carinato-marginatam longe superante.

Kapland (WAHLENBERG in Herb. Holm.).

P. (*§ Brachiaria*) *nidulans* Mez n. sp.; perennis videtur, ex rhizomate brevissimo radices perlóngos proferente densissime rosulateque ∞ -ramosa nidum solo adpressum vix ultra 60 mm altum et 150 mm diam. metientem pulviniformem formans. Folia basi in vaginas vix carinatas, dorso optime pubescentes producta; ligulis in lineam arcuatam, longe pilosam mutatis; laminis suberectis vel suberecto-patentibus, lanceolatis vel ovato-lanceolatis, basi anguste rotundatim contractis haud amplexicaulibus, apice acutis, planis, rigidulis, nervo medio manifestiore destitutis, margine ne ad basin quidem ciliatis anguste pallido-marginatis inferne laevibus superne scabridis non nisi leviter vel vix undulatis, utraque facie dense molliterque pubescentibus, \pm 20 mm longis et 4 mm latis. Culmi florigeri decumbentes, toti foliorum vaginis dense induti, cum nodis pilosi. Inflorescentia pauciflora, subsecunda, subsessilis folium sumnum subdupo superans, paupere 2-pinnatim panniculata; axibus optime (nec complanato-)angulatis, densiuscule pilosis, in spiculas virgentes desinentibus, haud vel leviter undulatis; ramis laxiuscule pinnatim axi insertis, suberecto-erectis, infimo totam inflorescentiam sueto ad $\frac{1}{2}$ aequante, laxe subsecundeque spiculas ramulorum infimas omnes geminas proferentibus; spiculis erectis, omnibus pedicellis conspicuis sed brevioribus, angulatis, longe strigosis stipitatis, breviter pilosis, leviter striatis, ex elliptico acuminatis, virentibus vel purpurascensibus, \pm 3,5 mm longis et 1,5 mm latis; gluma 1 spiculam ad $\frac{1}{2}$ vel paullo infra aequante, apice late obtusiusculeque triangulares, 7-nervia venis transversalibus semper manifestis; gluma 2 normaliter sequentem aequante, ex elliptico acutiuscula, 7-nervia, venis transversalibus in parte superiore sueto manifestis; gluma 3 praecedenti isomorpha sed 5-nervia vel sequenti aequali tunc rigida rugosaque, in axilla constanter paleam floris abortivi conspicuum, acutiusculam vel emarginatam, fere glabram fovente; gluma 4 ex elliptico apice acuminulata, ossea, alutacea vel lutescente, bene rugulosa, nitidula, paleam anguste rotundatam, dorso valde carinato-marginatam superante.

Nordost-Afrika: Küste des Roten Meeres, Flora des Ssoturba-Gebirges (SCHWEINFURTH n. 4171, EHRENBURG ohne Standort).

P. (*§ Brachiaria*) *pubifolium* Mez n. sp; perennis videtur, e culmis decumbentibus et ex nodis radicigeris ample fasciculatim ramosa, florifera semimetalis, gracilis. Folia basi in vaginas superne leviter carinatas, dorso pilis brevibus pubescentes producta; ligulis brevissimis, arcuatis, margine dense pilosis; laminis erectis, anguste lanceolatis, basi non nisi peranguste rotundatim contractis nullo modo amplexicaulibus, apice acutis, planis, subchartaceis, nervo medio inferne tenui praeditis, margine ne ad basin quidem ciliatis non nisi angustissime zonulatis haud, superne paullo scabridulis, utraque facie dense breviterque pubescentibus, \pm 60 mm longis et 6 mm latis. Culmi sueto geniculatim adscendentes, gracillimi, inferne subangulati superne compressi, cum nodis breviter pubescentes. Inflorescentia subpauciflora, erecta, bene secunda, longe stipitata folium sumum valde superans, laxe bipinnatim panniculata caricoidea, \pm 70 mm longa; axi compresso-angulato, recto, dense breviterque pubescente; ramis suberecto-patentibus vel patentibus, perlaxe secundaque axi insertis, infimo totam inflorescentiam ad $1/4$ — $1/3$ aequante, in spiculam virgantem desinentibus, compressis, vix undulatis, dense longeque pubescentibus, spiculas suberectas omnes singulas dense biseriatas unilaterales proferentibus; spiculis omnibus quam pedicelli apice strigosuli brevissimi permulto longioribus subsessilibus dicendis, breviter aequaliterque pilosis, pallide virentibus, bene lineatis, ex elliptico late acutis, \pm 3 mm longis et 1,3 mm latis; gluma 1 fere glabra, spiculam paullo ultra $1/3$ aequante, late triangulo-acuta, 3-nervia; gluma 2 quam sequens breviore quartam subaequante, ex elliptico late sed manifeste acuta, nervis 5 in parte superiore venis nonnullis transversalibus fenestratim conjunctis praedita; gluma 3 priori isomorpha, in axilla paleam floris abortivi subangustam sed conspicuam, acutam, obscure dissiteque pilosulam foente; gluma 4 bene acuta nec mucronata, glabra, perrigida, lutescente, minute sed manifeste rugulosa, nitidula, paleam late acutam, dorso carinato-marginatam superante.

Ost-Afrika: Ukamba (HILDEBRANDT n. 2665).

P. (*§ Brachiaria*) *distichophylloides* Mez n. sp.; annua, e radicibus fibrosis parce fasciculatim ramosa, florifera semimetalis, gracilis. Folia basi in vaginas superne obtuse carinatas, dorso dense pilis mollibus pubescentes producta, ligulis brevissimis arcuato-lineiformibus, margine dense longeque pilosis; laminis suberectis vel suberecto-erectis, linearibus vel anguste lanceolatis, basi anguste rotundatim contractis nec amplexicaulibus, apice acutis, planis vel complicatis, rigidulis, nervo medio inferne manifesto praeditis, margine prope basin saltem ciliatis non nisi apicem versus zonulatis scabridulisque haud manifestius crispatis, utraque facie molliter pubescentibus, \pm 70 mm longis et 4 mm latis. Culmi sueto geniculatim ad-

scendentes, subangulati, cum nodis pubescentes superne glabri. Inflorescentia subpauciflora, erecta, bene secunda, perlonge stipitata folium sumnum quam maxime superans, dense 2-pinnatim panniculata, utrinque acuta subfusiformis, \pm 70 mm longa et 10 mm diam. metiens; axi validiusculo, recto, angulato et secus angulos quasi pectinatim breviter piloso; ramis erectis, dense axi insertis, infimo totam inflorescentiam ad $\frac{1}{3}$ aequante, in spiculam virgente desinentibus, leviter undulatis, bene compressis, secus angulos dense longe pectinatim pilosis, spiculas omnes singulas dense unilaterali terque biseriatas proferentibus; spiculis erectis, omnibus quam pedicelli brevissimi longe pilosi permuto longioribus subsessilibus dicendis, pallide rubro-variegatis, pilis superioribus sat accrescentibus laxe strigosis, late ellipticis, apice optime acuminatis, \pm 4 mm longis et 1,9 mm latis; gluma 1 spiculam ad $\frac{1}{3}$ aequante, late triangulo-acuta, 5-nervia; gluma 2 quam sequens minute breviore, e late elliptico acuminata, nervis 5 validis in parte superiore venis transversalibus bene fenestratim conjunctis praedita; gluma 3 priori isomorpha, in axilla paleam floris abortivi magnam, late acutam, perobscure dissiteque pilosulam fovente; gluma 4 ex elliptico acutiuscula et mucrone parvo imposito praedita, ad apicem obscure pilosula cet. glabra, rigida, alutacea, leviter rugulosa, nitidula, paleam late acutam, dorso valde carinato-marginatam superante.

Niger-Gebiet (BARTER n. 1367).

P. (*§ Brachiaria*) *scalare* Mez n. sp.; perennis videtur, culmis elongatis decumbentibus et ex nodis radicigeris late patula, florifera \pm semi-metralis, gracillima. Folia basi in vaginas superne obtuse carinatas, dorso pilis longis partim e tuberculis parvis prodeuntibus conspersas producta; ligulis brevissimis transverse lineiformibus, margine bene pilosis; laminis subpatentibus, lanceolatis vel ovato-lanceolatis, basi optime rotundatis nec amplexicaulibus, apice late acutis vel acutiusculis, planis, chartaceis, nervo medio manifestiore fere destitutis, margine ne infime quidem ciliatis a basi valide pallido-incrassatis et sub lente dentibus spinulosis serrulatis sueto unilaterali optime crispulatis, utrinque pilis crassis erectis conspersis vel subitus subglabris, \pm 30 mm longis et 7 mm latis. Culmi florigeri decumbentes vel adscendentes, graciles, subangulati, ad nodos barbati cet. laxius pilosi. Inflorescentia submultiflora, subsecunda, longe stipitata folium sumnum multo superans, si bene evoluta fere e basi in apicem acutum sensim angustata pyramidalis, remote et perregulariter 2-pinnatim panniculata, \pm 60 mm longa; axi gracili, angulato, glabro, scabrido, inferne recto superne minute undulato; ramis suberectis vel suberecto-patentibus, infimo totam inflorescentiam vix ultra $\frac{1}{4}$ aequante, in spiculam virgente desinentibus, angulato-compressis, valde scabridis, infirmis spiculas optime unilaterales fere omnes geminas, superioribus singulas proferentibus; spiculis suberectis, omnibus quam pedicelli minimi, parce strigosi multo longioribus, virentibus vel atro-violascentibus, ex elliptico acutis, breviter pilosis, non

nisi leviter lineatis, \pm 2 mm longis et 0,8 mm latis; gluma 1 spiculam ad $\frac{1}{3}$ aequante, anguste rotundata, 3-nervia; gluma 2 quam sequens bene breviore quartam vix aequante, elliptica, apice rotundata, 5-nervia; gluma 3 priori isomorpha, in axilla paleam floris abortivi conspicuam, acutiusculam, obscure dissiteque pilosam fovente; gluma 4 ex anguste elliptico acutiuscula minutissimeque pilosule mucronulata, coriacea, straminea, bene angulosa, nitidula, paleam acutiusculam, dorso optime carinato-marginatam superante.

Kilimandscharo (VOLKENS).

P. (*§ Brachiaria*) *Schlechteri* Mez n. sp.; perennis videtur, culmis tenuibus prostratis late patula, florifera vix ultra 0,3 m alta, gracilis. Folia basi in vaginas omnes quam internodia breviores, leviter carinatas, omnino glabras producta; ligulis transverse lineiformibus, dense sed breviter pilosis; laminis suberecto-patentibus, lanceolatis, basi subito lateque contractis obtusis nec amplexicaulibus, apice sensim acutis, planis, submembranaceis, nervo medio tenui praeditis, margine haud ciliatis nec zonulatis non nisi prope apicem minutissimeque scabridulis, utrinque glabris, \pm 45 mm longis et 7 mm latis. Culmi florigeri adscendentis, gracillimi, ut videtur omnino teretes, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentia pauciflora, erecta, subsecunda, longiuscule nunc longe stipitata folium sumnum multo superans, perlaxe paupereque 2-pinnatim panniculata, subsquarrosa, glabra, virens, \pm 90 mm longa; axi gracili, valde angulato, inferne fere omnino laevi; ramis suberecto-patentibus, inferioribus quam tota inflorescentia subtriplo brevioribus, apice in spiculam vigentem desinentibus, perlaxe secunde spiculas omnes geminas alteram breviter alteram perlonge pedicellatam gerentibus; spiculis stricte erectis paris superiore quam pedicellus angulatus glaber laevisque subduplo breviore, glabris, virentibus, ellipticis, acutis, \pm 3,5 mm longis et 1,5 mm latis; gluma 1 spiculam fere ad $\frac{1}{3}$ aequante, e late ovato anguste rotundata, 3-nervia; gluma 2 quam sequens paullo breviore, ex elliptico late sed manifeste acuta, 7-nervia; gluma 3 priori isomorpha sed 5-nervia, sequentem paullo superante, in axilla florem perfectum ♂ cum palea paullo breviore, acutiuscula fovente; gluma 4 ex elliptico late acutiuscula nec mucronata, glabra, rigide coriacea, rugosa, alutacea, opaca, paleam bene rotundatam, dorso optime carinato-marginatam superante.

Südost-Afrika: Jnyamasan (SCHLECHTER n. 12067).

P. (*§ Brachiaria*) *aridum* Mez n. sp.; perennis, e rhizomate brevi polycephalo fasciculatim proveniens, florifera semimetallica, e gracilioribus. Folia basi in vaginas paullo carinatas, superne dorso leviter breviterque pubescentes vel glabras producta; ligulis brevissimis, rotundatis, margine bene pilosis; laminis suberectis vel suberecto-patentibus, anguste linearibus, basi anguste contractis nullo modo amplexicaulibus, in apicem acutissimum

persensim angustatis, planis, rigidulis vel subcoriaceis, nervo medio tenui praeditis, margine haud ciliatis angustissime pallido-zonulatis laevibus vel minute scabridulis, glabris vel subtus prope basin minute puberulis, \pm 120 mm longis et 4 mm latis. Culmi geniculatim adscendentes, subteretes glabri vel cum nodis minutissime puberuli. Inflorescentia pauciflora, erecta, subsecunda, breviter nunc brevissime stipitata, folium sumnum bene superans, paupere perlaxeque 2-pinnatim panniculata, \pm 110 mm longa; axi tenui, angulato, scabridulo, glabro vel dissite piloso; ramis erectis vel suberecto-erectis, brevibus infimis totam inflorescentiam haud ultra $1/3$ aequantibus, secus rhachin in spiculam virgente desinentem, angulatam, scabridam laxe secunde spiculas sueto bene geminas gerentibus; spiculis stricte erectis, quam pedicelli breves, angulati, pilosi omnibus multo longioribus, glabris, pallide virentibus vel rubentibus, ex anguste elliptico acutiusculis, non nisi levissime lineatis, 4—4,3 mm longis et 1,5 mm latis; gluma 1 spiculam ad $1/3$ aequante, ex ovato anguste rotundata, 3- vel 5-nervia; gluma 2 quam sequens paullo breviore, elliptica, apice anguste sed manifeste rotundata, 7—9-nervia, gluma 3 sequentem bene superante, priori isomorpha sed 5- vel 7-nervia; in axilla paleam floris abortivi glumam sequentem aequantem, apice rotundatam vel emarginellam fovente; gluma 4 ex anguste elliptico apice minute apiculata, bene rugulosa, rigide coriacea, pallida, fere opaca, paleam acutiusculam, dorso carinato-marginatam superante.

Somaliland (HILDEBRANDT n. 1483), Socotra (SCHWEINFURTH n. 509).

P. (*§ Brachiaria*) *stigmatisatum* Mez n. sp.; annua videtur, e radicibus fibrosis subsimplex vel parce fasciculatim ramosa, florifera 0,4—0,8 m alta, e gracilioribus. Folia basi in vaginas superne \pm carinatas, glaberrimas laevesque producta; ligulis brevissimis transverse calliformibus, omnino glabris; laminis suberectis, lanceolatis, apice acutis basi rotundatim contractis, planis, membranaceis vel chartaceis, nervo medio subobscuro vel obscurò praeditis, margine valde incrassatis suetoque bene crispulatis spinulis sursum spectantibus vel sursum uncinatis armatis, \pm 10 mm latis, longitudine valde variabilibus. Culmi validiusculi, erecti, subteretes, cum nodis glabri laevesque, nitiduli. Inflorescentia pauci- vel subpauciflora, erecta, secunda, folia longe superans, laxe bipinnatim ex axi validiore, angulato, laevissimo spicisque 2—5 paulo distantibus, suberectis vel e suberecto minute decurvis, \pm 45 mm longis, secus rhachin complanatam, ad margines dissite pilis longis e tuberculis ortis ciliatam, in spiculam virgente desinentem spiculas nunquam geminas optime unilaterales submonostichas procreantibus composita; spiculis pedicellis non nisi brevissimis, glabris vel setosulis stipitatis, suberecto-erectis, dense sibi incumbentibus, stramineis apice sanguineo-stigmatisatis vel omnino sanguineis, dissite breviter pilosis, anguste ellipticis, apice acutiusculis vel minute apiculatis, 4—4,3 mm longis, 1,6—2 mm latis; gluma 1 maxima spiculam ultra $3/4$ aequante, elliptico-ovata, late acuta, 9-nervia; gluma 2 elliptica, apice an-

guste rotundata, quam sequens minuta breviore, 9-nervia et reti crasso laxoque nervos conjungente perinsigni; gluma 3 priori isomorpha sed 5-nervia, item insignissime retata, in axilla florem ♂ cum palea vix breviore, acuminata, glabra fovente; gluma 4 quam binae praecedentes paullo breviore, elongate elliptica, apice rotundata apiculataque, bene punctato rugulosa, rigida, lutescenti-alutacea, nitida, paleam rotundatam, dorso secus marginem leviter carinatam optime superante.

Ghasalquellengebiet: Land der Djur, große Seriba Ghattas (SCHWEINFURTH n. 2299).

P. (*§ Gomphopanicum*) **rigens** Mez n. sp.; perennis, stolonifera, florigera metralis vel ultra, subsimplex, valida. Folia basi in vaginas superne nervo medio prominente paullo carinulatas, glabras laevesque producta; ligulis latere utrinque quam maxime triangulatim auriculigeris, glabris; laminis flaccide erectis, linearibus, basi nullo modo contractis, apice sensim acutis, siccis involutis, rigidulis, nervo medio valido praeditis, margine haud vel vix scabris, glaberrimis, \pm 350 mm longis et 5 mm latis. Culmi erecti, teretes, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentia submulti- vel subpauciflora, erecta, quaquaversa, simplicissima dense subspicata, cylindrica, \pm 80 mm longa et 7 mm diam.; axi valido, valde multiangulato, glabro laevique, recto; spicis omnibus quam pedicelli breves nunc brevissimi, validi, teretes, glabri laevesque multo longioribus, suberectis vel suberecto-patentibus, conicis, teretibus, glabris vel parce longeque pilosis, \pm 4 mm longis et 1,75 mm latis; gluma 1 spiculam fere ad $1/2$ aequante, e late ovato rotundata, 5-nervia; gluma 2 ex ovato subacuta, valde concava, rigidula, 9-nervia, sequentem subaequante; gluma 3 priori isomorpha sed apice obtusa, item 9-nervia, in axilla nec florem nec paleam fovente; gluma 4 quam praecedens multo breviore, apice rotundata a latere visa paullo uncinatim incurva, tenuiter chartacea, pallida fere alba, laevi nitidulaque, glabra, paleam isomorpham nec apice incurvam, dorso nullo modo carinatam superante.

Togo: Sokode-Basari (KERSTING n. 595).

P. (*§ Eupanicum*) **fasciculiforme** Mez n. sp.; perennis, culmis decumbentibus et ex nodis approximatis radices singulas proferentibus repens, florifera vix ultra 0,2 m alta. Folia basi in vaginas paullo ventricosas, superne carinulatas, margine ciliatas dorso bene tuberculato-pilosas producta; ligulis conspicuis, hyalinis, margine grosse crenatis, glabris; laminis suberectis, lanceolatis, basi angustius latiusve rotundatis, apice acutissimis, planis, chartaceis, nervo medio tenui sed manifesto praeditis, margine haud ciliatis superne minute scabridulis, glabris vel saepius utraque facie bene pilosis, \pm 40 mm longis, 6 mm latis. Culmi e decumbente adscendentibus, subteretes, praeter nodos barbatos glabri laevesque. Inflorescentiae complures e foliorum culmi vaginis emergentes, pauci- vel subpauciflorae, tri-

pinnatim panniculatae, erectae, quaquaversae, folia haud multo superantes, fasciculiformes, vix ultra 60 mm longae, in pedunculi apice optime umbellatim e radiis \pm 3 subaequalibus, prope apicem item brevissime, approximate pinnatim divisis composita; axibus subangulatis, paullo vel vix scabridis, florigeris infra spiculam sueto pilos nonnullos perlóngos gerentibus; spiculis virentibus vel stramineis, praeter glumam infimam breviter laxaque pilosam glabris, erectis, ultimis lateralibus pedicellos paullo superantibus, carinulato-nervosis, ellipticis, apice obtusiusculis vel acutiusculis, usque ad 1,5 mm longis et 0,75 mm latis; gluma 1 parva spiculam ad $1/4$ vel rarius fere usque ad $1/3$ aequante, ovato-triangulari, acutiuscula vel acuta, tenuissime 1-nervia; gluma 2 sequentem subaequante, elliptica, apice rotundata, valide 3-nervi; gluma 3 priori isomorpha, in axilla paleam floris abortivi minutam facileque praetervisam fere basin usque incisam, glabram fovente; gluma 4 praecedentibus paullo breviore, subovata, acutiuscula, dorso carina obtusa apice in aciculi dorsalis virentis rudimentum desinente praedita, rigidula, straminea, nitidula, paleam anguste rotundatam, dorso secus marginem carinulatum superante.

Comoren (v. d. DECKEN, SCHMIDT n. 142).

P. (*§ Eupanicum*) umbratile Mez n. sp.; perennis, e decumbente adscendens, statura mediocris. Folia basi in vaginas leviter carinatas, margine breviter pilosas dorso glabras laevesque producta; ligulis brevibus, margine crenulatis et brevissime saepiusque subobscure pilosis; laminis suberectis, lanceolatis, basi bene rotundatis, apicem versus (saepius sub-acuminatim) acutis, planis, tenuiter membranaceis, nervo medio manifesto praeditis, margine haud ciliatis apicem versus serrulato-scabridis, glabris, \pm 100 mm longis, 15 mm latis. Culmi suberecti vel adscendentis, teretes, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentia erecta, quaquaversa, folia paullo superans, subpauci- vel submultiflora, anguste denseque 3-pinnatim panniculata subfasciculiformis, \pm 100 mm longa, glaberrima; axi ramulis haud multo validiore, sicut illi angulata scabridaque nec non bene undulata; ramis haud verticillatis, ipsa ex basi divisis, stricte erectis, usque ad 70 mm longis, pauperrime ramulosis; spiculis stricte erectis, ultimis lateralibus non nisi brevissime pedicellatis, glabris sed sub lente minute scabridis, viridibus vel pallide rubentibus, ellipticis, acutis, \pm 3,3 mm longis, 1,3 mm latis; gluma 1 valde reducta spiculam vix ultra $1/10$ aequante, suborbiculari, apice late rotundata crenulataque, avenia; gluma 2 quam sequens minute breviore, elliptica, apice (explanata) anguste obtusiuscula, 3-nervia; gluma 3 acuta, item 5-nervia, in axilla paleam floris abortivi bene breviorem, lingulatam, apice truncatulam, glabram fovente; gluma 4 quam praecedens paullo breviore, elliptica, acuta, glabra, straminea, rigidula, nitida, minutissime et perobscure scrobiculata, paleam isomorpham, dorso secus marginem carinulatam vix superante.

Abyssinien (SCHIMPER n. 1554).

P. (§ *Eupanicum*) Mannii Mez n. sp.; perennis, procumbens et ex nodis radicigera, gracilis, florifera vix ultra 0,3 m alta. Folia basi in vaginas nervo medio prominente carinulatas, margine dense ciliatas, dorso glabras laevesque producta; ligulis brevibus, tenuibus, rotundatis, margine crenatis breviterque pilosis; laminis suberecto-patentibus, bene lanceolatis, basi rotundatis apice subacuminatis demum acutiusculis vel acutis, planis, chartaceis, nervo medio tenui praeditis, margine nullo modo ciliatis minute serrulato-scabridis, glabris vel valde dissite pilosis, \pm 40 mm longis, 10 mm latis. Culmi florigeri geniculatum adscendentes, subangulati, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentia pauciflora, erecta, quaquaversa, folia longe superans, laxe 2- vel obscure 3-pinnatim panniculata, anguste subfusiformis, \pm 90 mm longa, glabra; axi validiusculo, superne bene undulato, angulato, minute scabrido; ramis suberecto-erectis, nec verticillatis nec e basi divisis, usque ad 40 mm longis; spiculis erectis, ultimis lateralibus quam pedicelli subangulati, minute scabridi bene longioribus, apicem versus minute scabrido-pilosulis, virentibus, anguste ellipticis, apice acutiusculis, \pm 3 mm longis, 1 mm latis; glumis nullo modo carinatis, prima spiculam ad $\frac{1}{3}$ vel paulo infra aequante, late elliptica, optime rotundata, 1-nervia; gluma 2 sequentem aequante, ex elliptico anguste rotundata, 5-nervia; gluma 3 priori isomorpha, in axilla nec florem nec paleam fovente; gluma 4 praecedentibus paulo breviore, anguste elliptica, acutiuscula, rigidula, alutaceo-straminea, minute rugulosa, paulo nitidula, paleam apice anguste rotundatam, dorso secus marginem bene carinatam superante.

Kamerun (MANN).

P. (§ *Eupanicum*) giganteum Mez n. sp.; perennis, gigantea usque ad 4 m alta. Folia basi in vaginas superiores saltem haud carinatas, glabras vel dorso pilis longis e tuberculis ortis conspersas producta; ligulis brevibus sed conspicuis, truncatis, margine parce pilosis; laminis erectis, late linearibus, basi optime auriculatum rotundatis, in apicem acutissimum sensim angustatis, planis, chartaceis, nervo medio crasso praeditis, margine haud incrassatis denticulis spinuliformibus non nisi ad basin et apicem conspicuis cet. \pm evanescentibus scabris, \pm 1 m longis, 30 mm latis. Culmi validissimi, stricte erecti, subteretes, glabri laevesque nodis nunc breviter pilosis nunc item glabris. Inflorescentia ∞ -flora, erecta, quaquaversa, folia vix superans, amplissime 4-pinnatim panniculata, sueto valde compacta, apice rotundata, imperfecte solum mihi cognita e ramis inferioribus bene evolutis mihi visis certe saepius 0,5 m vel ultra longa, glabra, ut videtur sueto rubens; axibus non nisi lineatim angulatis, valde scabris, omnibus in spiculas vigentes desinentibus; ramis inflorescentiae inferioribus mediisque optime permultis verticillatis; spiculis norma omnibus geminis, erectis, ramulorum superioribus pedicellos bene superantibus, lanceolatis, manifeste acutis, 3—3,5 mm longis, 1,2—1,5 mm latis; glumis exterioribus glabris, intus praesertim basin versus vernicoso-nitidis et

brunnescentibus; gluma 1 conspicua spiculam fere ad $\frac{1}{2}$ aequante, ex ovato bene acuta, 3-nervia; gluma 2 quam sequens breviore, elliptica, acuminata, 5-nervia; gluma 3 priori isomorpha sed latius acuta, in axilla florem perfectum ♂ cum palea paullo breviore, apice rotundata et hic minutissime pilosula fovente; gluma 4 sublanceolata, apice acuta et hic minutissime pilosula, rigidula, straminea, paullo nitida, densissime valde rugosa, paleam peranguste rotundatam, dorso secus marginem obtuse carinatam paullo superante.

Sansibarküstengebiet: Usaramo (STUHLMANN n. 6533, 6712, 6754), Witu (THOMAS n. 123).

P. (*§ Eupanicum*) *massaiense* Mez n. sp.; annua videtur, e radicibus fibrosis fasciculatim ramosa, florifera semimetralis, e validioribus. Folia basi in vaginas sueto laxas, haud carinatas, margine glabras dorso praesertim apicem versus pilis longis patentibus tuberculatis hispidas rarius item glabras producta; ligulis conspicuis, rotundatis, margine laciniato-pilosis; laminis suberectis, linearibus, basi bene rotundatim contractis, in apicem acutum sensim angustatis, planis, chartaceis, nervo medio manifesto praeditis, margine haud ciliatis zonula anguste pallida auctis et praesertim superne bene serrulato-scabridis, glabris vel dissite longe pilosis, \pm 200 mm longis, 7 mm latis. Culmi superne bene ramosi, adscendentis, validi, subteretes, cum nodis glabri vel (praeter illos) dissite tuberculato-pilosi. Inflorescentia multiflora, erecta, quaquaversa, folia bene superans, compacte triplinatim panniculata, apice obtusa, \pm 130 mm longa, glaberrima; axi validiusculo; ramis suberectis, inferioribus \pm 100 mm longis, haud verticillatis, sueto ipsa ex basi iterum divisis, superne haud undulatis, angulatis et bene scabris; spiculis erectis, sueto ternis vel quaternis, ramulorum ultimis lateralibus pedicellos longe superantibus, glabris, violascentibus vel rarius virentibus, ex subovato acuminatis mox hiascentibus, paullo lineatis, \pm 2,75 mm longis, 4,25 mm latis; glumis exterioribus optime carinatis dorsoque apicem versus scabridis, prima conspicua spiculam ad $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ aequante, ex ovato longe acuminata apiceque aristulata, praeter nervum medium validum nervis tenuissimis praedita; gluma 2 maxima sequentes bene superante, ex elliptico aristulatim acuminata, valide 7-nervia; gluma 3 ex elliptico late acutiuscula, item valide 7-nervia, in axilla florem perfectum ♂ cum palea non nisi paullo breviore, acuminata, glabra fovente; gluma 4 quam praecedens sat breviore, elliptica, acutiuscula, glaberrima, rigidula, straminea, politissima, paleam rotundatam, dorso secus marginem haud carinatam superante.

Massai-Steppe (STUHLMANN n. 4307).

Mossambik (PETERS).

P. (*§ Eupanicum*) *Merkeri* Mez n. sp.; statura majore. Folia basi in vaginas haud carinatas, margine glabras dorso dense pilis e tuberculis

ortis perlóngis mollibüs saepius evidenter refractis dense conspersas producta; ligulis conspicuis, rotundatis, margine optime pilosis; laminis suberectis, linearibus, basi bene rotundatim contractis, in apicem peracutum sensim angustatis, planis, chartaceis, nervo medio manifesto praeditis, margine praeter infimam basin parce tuberculato-ciliatam glabris zona anguste pallida cinctis et minute serrulato-scabris, utrinque pilis longis e tuberculis parvis ortis conspersis, $\pm 0,3$ m longis, 12 mm latis. Culmi validi, inferne teretes apice paullo angulati, praeter nodos saepius breviter pilosos sicut vaginae pilosi. Inflorescentia ∞ -flora, erecta, quaquaversa, folia paullo superans, dense angusteque 4-pinnatim panniculata subthyrsoidea, usque ad 0,35 m longa mihi visa sueto $\pm 0,2$ m metiens, glabra; axi valido, recto, angulato, scabro; ramis stricte erectis, inferioribus usque ad 0,2 m longis, haud verticillatis, altiuscule ramulos tenues, superne minute vel vix undulatos, angulatos scabrosque proferentibus; spiculis geminis quam pedicelli e basi divisi ultimis lateralibus longioribus, erectis, glabris, pallide virentibus vel rubentibus, bene lineolatis, ex elliptico acutiusculis mox hiascentibus, ± 3 mm longis, 1,5 mm latis; gluma 1 parva spiculam ad $1/5$ aequante, multo latiore ac longa, acuminata, carinata dorsoque minute scabridula, praeter nervum medium validum nervillis 4 obscuris aucta; gluma 2 sequentem subaequante vel minute superante, cum illa vix carinulata, e late elliptico acutiuscula, 9-nervia; gluma 3 priori isomorpha sed anguste rotundata, optime 9-nervia, in axilla florem perfectum ♂ cum palea longiore per anthesin bene emergente, acuminata, glabra fovente; gluma 4 quam binae praecedentes bene breviore, elliptica, acuta vel acutiuscula, optime 5-nervia, rigidula, straminea, polita, paleam anguste rotundatam, dorso secus marginem carinulatam paullo superante.

Kilimandscharogebiet (MERKER).

Südl. Nyassaland (WHYTE).

P. (\S *Eupanicum*) *Kerstingii* Mez n. sp.; annua vel potius perennis?, e radicibus fibrosis fasciculatim ramosa, florifera 0,5—1 m alta, validior. Folia basi in vaginas haud carinatas, margine dense ciliatas, dorso nunc omnino nunc apicem saltem versus pilis longis patentibus e tuberculis magnis ortis praeditas nec non sub lente punctulis ∞ minutissimis per insignes producta; ligulis brevissimis, margine dense pilosis; laminis linearibus, basi bene rotundatim contractis, in apicem acutissimum persensim angustatis, planis, chartaceis, nervo medio conspicuo praeditis, toto margine apicem usque tuberculato-ciliatis et utraque facie pilis validis e tuberculis ortis dense conspersis, ± 250 mm longis, 8 mm latis. Culmi erecti, validiusculi, fere omnino vaginis celati, teretes, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentia ∞ -flora, erecta, quaquaversa vel paulo secunde nutans, amplissime 3—4-pinnatim panniculata, optime capillacea, junior subfasciculiformis adulta effusa, $\pm 0,3$ m longa, folia summa haud vel vix superans, virens, glaberrima; axi validiusculo superne filiformi, angulato, scabro;

ramis erectis, usque ad 0,2 m longis, infimis saltem verticillatis et jam ex basi ample ramuligeris; spiculis ultimis lateralibus quam pedicelli angulati scabrique bene longioribus, ex elliptico acuminatis, glaberrimis, pallide viridentibus vel rarius rubentibus, stricte erectis. \pm 3 mm longis, 1 mm latis; glumis exterioribus carinulatis prima conspicua spiculam ad $\frac{1}{2}$ aequante, ex ovato late acuta apiceque mucronulata, 5-nervia; gluma 2 sequentem minute superante, ex elliptico bene acuminata, 7-nervia; gluma 3 priori isomorpha sed apice latius acutiuscula, 7- vel saepius 9-nervia, in axilla paleam floris constanter abortivi valde reductam, quam gluma sequens multo breviorem foente; gluma 4 quam praecedens set breviore, elliptica, apice bene rotundata, glabra, politissima, straminea, paleam item rotundatum, dorso secus marginem haud carinatam superante.

Togo (KERSTING n. 247, 253, Graf ZECH n. 34, 46).

Niger-Gebiet (BARTER n. 1374).

P. (*§ Eupanicum*) *Pilgeri* Mez n. sp.; perennis, stricte erecta, florifera metralis, e graciliорibus. Folia basi in vaginas haud carinatas, dorso dense pilosas producta; ligulis brevibus, rotundatis, margine dense breviterque pilosis; laminis erectis, linearibus, basi haud contractis, in apicem acutissimum sensim angustatis, siccis convolutis, rigidulis, margine prope basin saltem tuberculato-ciliatis ad apicem bene scabris, utrinque pilis tuberculatis obtectis, \pm 150 mm longis, 5 mm latis. Culmi strictissimi, apicem versus bene angulati, cum nodis pilosi. Inflorescentia permultiflora, erecta, qua-quaversa, folia longa superans, densissime 4-pinnatim panniculata sub-thyrsoidea, apice acuta, \pm 130 mm longa, 45 mm diam., bene longeque pilosa; axi valido, multiangulato, scabrido; ramis haud verticillatis, ipsa basi simplicibus sed paullo super basin amplissime ramulosis, erectis, usque ad 90 mm longis; spiculis lateralibus omnibus quam pedicelli teretes, pilos perlongos gerentes longioribus, erectis, glaberrimis, pallidis vel saturate purpureis, ex elliptico acuminatis, \pm 2 mm longis, 0,9 mm latis; gluma 1 spiculam ad $\frac{3}{4}$ vel paullo ultra aequante, cum 2 sequentibus carinulata, ex ovato acuminatim in mucronem longum serrulatum desinente dorsoque secus carinam scabra, (subobscure) 5-nervia; gluma 2 maxima sequentem multo superante, ex elliptico sicut praecedens acuminata, 5-nervia; gluma 3 e late elliptico acutiuscula, 5-nervia, in axilla florem perfectum ♂ cum palea acuta, glabra, vix breviore foente; gluma 4 quam praecedens paullo breviore, anguste elliptica, acutiuscula, rigidula, straminea, laevi nitidaque, paleam anguste rotundatam, dorso secus marginem nullo modo carinatam paullo superante.

Niger-Gebiet (BARTER ohne No.).

P. (*§ Eupanicum*) *watense* Mez n. sp.; annua, e radicibus fibrosis subsimplex vel paupere fasciculatim ramosa, florifera \pm 0,3 m alta, gracillima. Folia basi in vaginas superne carinulatas, praeter marginem cilia-

tulum glaberrimas laevesque producta; ligulis in lineam arcuatam, longe ciliato-pilosam reductis; laminis erectis, anguste linearibus, basi haud contractis, in apicem acutissimum sensim angustatis, planis, subchartaceis, nervo medio tenuissimo saepius obscuro praeditis, margine haud ciliatis praeter summum apicem minute serrulato-scabridum laevibus, ± 100 mm longis, 3 mm latis. Culmi stricte erecti, gracillimi, breves superne inflorescentias complures laterales e vaginis emergentes procreantes, subteretes, cum nodis glabri laevesque. Inflorescentiae multiflorae, erectae, quaquaversae, folia paullo superantes, capillaceae, densiuscule 3-pinnatum panniculatae, glabrae, ± 100 mm longae; axibus subteretibus, scabridis, fere omnino rectis, omnibus sat elongatis; ramis per anthesin quoque suberecto-erectis, inflorescentiae mediis paupere verticillatis, inferioribus e basi iterum ramulosis; spiculis omnibus quam pedicelli sat brevioribus, erectis, recte insertis, glaberrimis, rubentibus, ex elliptico acuminatis mox hiascentibus, ± 2 mm longis, 0,75 mm latis; glumis exterioribus carinulatis 4 maxima, spiculam ad $\frac{3}{4}$ vel paullo ultra aequante, late lanceolata, longe subaristatimque acuminata, dorso secus carinae partem superiorem scabridula, 3-nervia; gluma 2 maxima, ex elliptico brevius sed optime acuminata, item 3-nervi; gluma 3 quam praecedens breviore sed primam superante, explanata ex elliptico breviter subacuminata demum anguste rotundata, 3-nervi, in axilla paleam floris ut videtur semper abortivi paullo breviorem, glabram fovente; gluma 4 quam praecedens conspicue breviore, bene elliptica, apice anguste rotundata, rigidula, pallida vel matura nonnunquam cinerea, politissima, paleam bene rotundatam, dorso secus marginem haud carinatam superante.

Senegambien, auf überschwemmten Flächen bei Wato (LEPRIEUR).

P. (*§ Eupanicum*) **mixtum** Mez n. sp.; annua, e radicibus fibrosis fasciculatim multiramosa, haud stolonifera, florifera vix ultra 0,3, sueto $\pm 1,2$ m alta, gracillima. Folia basi in vaginas haud carinatas, dorso longe et saepissime dense pilosas producta; ligulis brevissimis transverse lineiformibus, longe pilosis; laminis suberectis vel flaccidis linearibus, basi haud contractis, in apicem acutissimum sensim angustatis, planis, chartaceis, nervo medio tenui praeditis, margine haud ciliatis superne minute serrulato-scabridis, utrinque pilosis, ± 80 mm longis, 3 mm latis. Culmi suberecti, brevissimi fere e basi ramosi et inflorescentias e vaginis emergentes permultas proferentes, graciles, paullo angulati, cum nodis pilosi. Inflorescentiae erectae, quaquaversae, subpauci-vel submultiflorae, gracillimae capillares, laxe tripinnatum panniculatae, folia paullo superantes, per anthesin squarrosoe, raro ultra 0,13 m longae, dissite longeque pilosae; axibus valde elongatis, filiformibus, subangulatis, bene scabridulis; ramis haud verticillatis inferioribus e basi iterum parce laxeque ramulosis, vix undulatis, per anthesim patentibus; spiculis pedicellis omnibus bene longioribus recte insertis, pilosis,

junioribus ex anguste elliptico acuminatis adultis mox hiascentibus, virentibus vel rarius rubentibus, \pm 2 mm longis, 0,75 mm latis; glumis exterioribus carinulatis prima magna spiculam ultra $\frac{3}{4}$ aequante, ex ovato-elliptico in acumen aristiforme producta, 5-nervia; gluma 2 maxima, longe acuta vel subacuminata, 7-nervia; gluma 3 primam paullo sed constanter superante, ex ovato late acuminata demum anguste truncatula, non nisi perparce pilosa, 5-nervia, prope apicem prominenter 3-carinulata, in axilla florem perfectum ♂ cum palea paullo breviore, glabra fovente; gluma 4 quam praecedens bene breviore, ovato-elliptica, anguste rotundata, rigidula, matura brunnea, politissima, paleam rotundatam, dorso secus marginem haud carinatam paullo superante.

Kamerun (BUCHHOLTZ, DINKLAGE n. 605).

Gabun: Mungo (SOYAUX n. 429).

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Botanische Jahrbücher für Systematik,
Pflanzengeschichte und Pflanzengeographie](#)

Jahr/Year: 1905

Band/Volume: [34](#)

Autor(en)/Author(s): Mez Carl Christian

Artikel/Article: [Gramineae africanae. V. 131-148](#)